I/231.

S. Officium præstiti Ioachime chariss. atque doctiss. in perferendo aureo nu-
mo, quem nunc tibi transmitto. Longo ante accepi; sed defuerunt
quib. tuto committerem. Post longiss. simul et graviss. infirmita-
tem sanitati redditus Tigurum veni non postrema causa, ut commu-
nem Conradum nostrum, ac aureum mandarem, ut ad te mitteret. Verum
quia abfuit is, patri eius dedi, qui id faceret. Cæterum ut res tuæ ha-
beant, quid agas, quid novi in literis moliaris non parum miror. In
primis vero, ut tibi conveniat cum Cæsario nostro prædicatore. Quis
malus dæmon nobis istuc suggessit, ut hunc eligeretis, qui verbum
divulgaret divinum? Nescit quid ἄλφα sit, quid βῆτα, et nos tan-
tum indicatis, ut animus nostris præsit. Non aliunde imperitia istius
mihi constat, quam quod vere doctis & bonis viris tam infe-
stus est, non satis habens, quod ipse odio illos prosequitur, nisi
& toti mundo reddat odiosos. Malum animi principio hæc res indicat,
tum caput indoctum, utpote quod ita abhorreat à doctiss. quibusque.
Tum esset persuadere eos, quorum est huiusmodi, hoc est conciona-
torem deligere, cum talem hominem sibi præficerent. Habes doctrinam,
habes authoritatem apud tuos, ut hoc facillime posses, quare mirum
est, cur non aliquid tentaveris. Quod si tibi cum eo convenit (quod
minime credo) miraculum est, Quid enim docto cum indoctiss. bono
cum improbo? Reddas igitur nos aliquando certiores, ut illa omnia
sese habeant, et rem gratiss. gratiorem facies. Sisque nobis amicus,
nam te & observamus & colimus. Vale cum uxore tua feliciss.
Tiguri Anno MDXX. Conrado scriba

Myconius
tuus.

Eximio D. Doctori Joachi-
mo Vadiano Medico,
oratori, & Poë-
tæ laureato ami-
ciss. suo.

Sancto
Gallo.

VADIAN BIBLIOTH.